



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. II. Mea Mens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

damnatio non mutat propositionem, ergo iterum contradictoria; & præterea tenetur solvere argumentum, quomodo absque eo quod opinio intrinsecè innovetur, possit per sententiam Papæ de intrinsecè probabili, fieri intrinsecè improbabilis. Quarto, quia hæc eadem doctrina opponitur illi, quam P. Card. pag. 68. tradit ex Patre Cardenas tom. 1. tr. 3. disp. 9. nempe posse opinionem de probabili ab intrinsecò transire in intrinsecè improbabilem, quia possunt decursu temporis apparere rationes evidentes pro opinione opposita: si autem hoc concedit Viris doctis, cur non Papæ? Rursus tenetur tunc dicere, quomodo opinio fiat intrinsecè improbabilis, absque eo quod intrinsecè mutetur. Quinto, quia confundit probabilitatem cū veritate, quod nullo modo admitti potest, nam veritas est sæpe occulta, probabilitas est sæpe evidens; non enim est, nisi prudens rei credibilitas identificata cum gravitate fundamentorum, allicientium ex parte objecti intellectum, ut huic præ illā parte assentiatur: ergo probabilitas non est idem, quod veritas. Sexto, quia licet communiter explicetur opinio speculativè probabilis, quæ præcindendo à circumstantijs singularibus dicitur in genere talem rem licere, ex gr. contractum; practicè probabilis, quæ dicitur hic, & nunc contractum licere; revera tamen hæc explicatio non quadrat; quia cognitio speculativa, & practica non sumitur præcisè ex eo, quod practica attingat, speculativa non attingat circumstantias objecti; potest enim utraque cognitio eandem circumstantias attingere, sed speculativa contemplando illas, practica dirigendo ad illas, ut infra: ergo non bene explicat probabilitatem speculativam, quæ respicit rei veritatem in genere; practicam, quæ ut in talibus circumstantijs.

§. II.

Mea Mens.

S U M M A R I U M.

Papa potest opiniones intrinsecè, & extrinsecè probabiles declarare utroque modo improbabiles, n. 61.

Bene notanda censure species, n. 62.

Minus pia de Conceptione non damnatur, ut improbabilis, ibid.

Doctrina sensus compositi, & divisi cur tam difficilis? n. 63. ad 69.

Quid opinio speculativa, & practica, intrinsecè, & extrinsecè probabilis? n. 65.

Inductio opinionum antea intrinsecè probabilium, modo improbabiliū, n. 67.

Tom. I.

Qualiter opinio de intrinsecè probabili fiat intrinsecè improbabilis? Ibid.

Eminentia iudicii Pontificij, n. 73.

Tollit omnem ab opinione intrinsecam, & extrinsecam probabilitatem; & quidem in perpetuum, ibid.

M. Bannez ait, quod etsi Antiquis debeat honor, requirenda Juniorum sententia, n. 74.

Aliquæ opiniones factæ probabiles, ibid.

Probabilitas intrinseca tollitur per certitudinem oppositi, ibid.

Judicium Papæ tollit omnem veri apparentiam, n. 76.

Tribunal Inquisitionis longè aliter declarat, ac Papa, n. 77. ad 79.

Damnatio supponit opinionis damnabilitatem, n. 79.

Conclusio. Datur in Romano Pontifice infallibilis autoritas damnandi, & declarandi improbabiles opiniones antea, tum extrinsecè, tum intrinsecè probabiles. Hanc in terminis docet, & probat Pater Cardenas tom. 1. disp. 9. cap. 2. & 3. & tom. 4. disert. 1. cap. 2. & Pater Terillus de Regula morum m. quest. 27. latè contra Patrem Elizalde; & eam insinuat Pater de la Fuente Hurtado disert. 1. num. 104. Palanco de conscientia quest. 28. a. n. 332. Pater Aridekin tom. 2. par. 3. tract. 2. principio 23. & eam supponunt omnes Theologi, dum dicunt iudicium Papæ in materiā morum esse infallibile; & sicut Papa opinionem antea apparenter non scandalosam, immò apparenter tutam potest damnare ut scandalosam, ita etiam opinionem antea apparenter intrinsecè probabilem, potest damnare ut improbabilem. Dixi, supponunt, & ideo Amadeus Guimenius tr. de Opinione probabili, propositione 1. num. 4. loquens de sententiā Caramuelis dixit, eam positionem non bene audire apud T. T.

Nota primò, attentè semper in Decretis Pontificijs considerandum, quid, & quo genere censuræ Papa opinionem damnet: si damnat ut improbabilem, & falsam, eo ipso per damnationem Papæ fit intrinsecè improbabilis, & falsa: si vero damnat, aut vetat præcisè opinionis praxim, defensionem, & lectionem, non fit ea opinio ex vi decreti damnantis intrinsecè improbabilis, & falsa. Quis enim Scripturam Divinam vulgari idiomate dicat improbabilem, & falsam, eo quia Papa vetat lectionem Scripturæ vulgari idiomate? Similiter quis dicat opinionem minus piam esse damnatam à Decreto Pontificio, ut improbabilem; cum Papa nil dicat de ejus improbabilitate, alias magis pia esset de fide? Per hoc autem quod dico, minus piam non esse declaratam à Papa ut improbabilem,

B ij

bitem,

bilem, nemo inferre potest me dicere, non esse improbabilem: aliud enim est, Papam non declarare illam improbabilem, quod certum est; aliud eam non esse aliunde improbabilem propter rationes urgentissimas; quod falsum est; ut accidere potest alijs damnatis, quæ licet non damnentur ut improbabiles, possunt aliunde esse improbabiles. Vide Riccium Anti-Probabilitatem d. 3. de Aët. Hum. cap. 5. n. 22. & P. Card. tom. 1. d. 9. cap. 18. per totum.

Riccus.
P. Card.

N. 63. Nota secundo, doctrinam concretorum, seu sensus compositi, & divisi, reduplicativi, & specificativi non levem aliquando Philosophis, & Theologis parere difficultatem; solent enim ex imperfecta eorum intelligentia, tamquam ex copioso fonte, oriri sophismata. Hinc in Summulis, ubi de terminorum distractione, monere solemus auditores nostros, ut attentione utantur, & illis proponimus has quæstiones, an Deus facere possit, ut cæcus videat, mutus loquatur, mortuus resurgat; & dicimus has propositiones, *cæcus non potest videre, cæcus potest videre*, (idem dico de alijs) estò videantur contradictoriæ, ambas tamen esse veras, primam in sensu composito cum cæcitate, secundam in sensu diviso; quapropter aliud est dari in Deo potentiam activam, & in homine passivam componendi cæcitatem cum visione; & hanc negamus; aliud est dari in Deo potentiam activam, & in homine passivam, ut homo divisus à cæcitate videat, & à morte vivat; & hanc affirmamus. Brevius, aliud est dari in Deo similitudinem potentiae activæ, & in homine similitudinem potentiae passivæ ad cæcitatem, & visionem divisim, & hoc verum est: aliud est dari in Deo potentiam activam, & in homine potentiam passivam ad similitudinem cæcitis cum visione, mortis cum vitâ, & hoc falsum est: ita accidit in casu nostro. Hæc quæstio, an opinio probabilis possit fieri improbabilis, & damnabilis; an opinio vera possit fieri falsa, & sexcentæ aliæ, duplicem habet sensum, nempe compositum, & divisum; compositus est, an Papa habeat potentiam activam, & opinio potentiam passivam, ut cum probabilitate componatur improbabilitas, & damnabilitas; divisus est, an Papa habeat potentiam activam, & opinio potentiam passivam, ut separata à probabilitate sit improbabilis, & damnata. Primum negamus, secundum affirmamus. Brevius, aliud est, dari in Papâ similitudinem potentiae ad opinionis probabilitatem, & improbabilitatem divisim, aliud dari in Papâ potentiam ad similitudinem probabilitatis, cum improbabilitate

N.
64.

opinionis. Hoc est falsum, illud verum. Si Adversarij hoc penetrarent, viderent esse paradoxissimos, quos pro syllogismis vendunt; nec esse contradictorias has propositiones: Opinio probabilis fieri potest improbabilis, & damnabilis; opinio probabilis fieri non potest improbabilis, & damnabilis; nam utraque est vera, illa in sensu diviso, hæc in composito; ut enim implicat componi in eadem opinione probabilitatem cum improbabilitate; ita non implicat, ut eadem opinio divisa ab improbabilitate componatur cum probabilitate; & e contra.

Nota tertio, quod speculative, & practice probabilis dividitur in intrinsecam, & extrinsecam probabilem. Extrinsecam probabilis est, quæ nititur gravi DD. auctoritati, quæ, ut dixi in *Tract. de Fide*, constat ex sapientia in cognoscendo, & veracitate in dicendo. Intrinsecam probabilis est, quæ nititur gravi rationi, & nil certum habet contra se, & dicitur probabilitas rationalis. Confundenda autem non est probabilitas cum veritate, aliæ probabiliora essent magis vera, & e contra, cum tamen oppositum sit evidens, plura enim falsa sunt probabiliora veris. Porro dum dicitur, quod probabilitas sit intrinseca opinioni, non est sensus, quod sit illi identificata, aut intrinseca. Si enim esset identificata, tolli non posset; sed intrinseca probabilitas tolli potest, ut patet tum ex Philosophia; nam Cælos esse incorruptibiles docere hæcenus plerique ut intrinsecam probabile; similiter aquam ratione vacui ascendere, ut probabilius admissum fuit, cum tamen utraque sententia à nobis, & Mathematicis rejiciatur, & velimus Cælos corruptibiles, & aquam non ascendere ex virtute obedientiali, sed ex virtute elastica, ut bene P. de Schales, & Gaslendus; tum ex Theologia; P. de Schal. Gaslen. pro quo satis erit legere Catalogum opinionum antea intrinsecam probabilem, modo improbabilem, quem P. Carden. tom. 1. disp. 9. cap. 7. & disp. 11. cap. 8. & tom. 2. disp. 1. n. 80. textit. Falsum quoque, quod probabilitas sit intrinseca; tum quia opinio de intrinsecam probabili ob novam & certam rationem elidentem rationem antiquam transit ad intrinsecam improbabilem; sed hæc nova, & certa ratio nil tollit intrinsecum opinioni; non enim hæc ratio se habet ut forma physica excludens formam antiquam; ergo intrinseca probabilitas non est intrinseca opinioni; tum quia etsi omnis forma denominans sit intrinseca concreto, non tamen subiecto denominato; ita visio est intrinseca huic concreto *visum* quidditative sumptis, non tamen est intrinseca *visio* specificative sumpto

N.
65.

N.
66.

N.
67.

N.
68.

sumpto, seu subjecto, quod dicitur visum: ita accidit in casu nostro, etsi probabilitas intrinseca sit intrinseca huic concreto, *opinio intrinsecè probabilis*, reduplicativè sumpto, non tamen est intrinseca eidem specificativè sumpto, seu opinioni, quæ intrinsecè probabilis denominatur, nam denominatur intrinsecè probabilis à probabilitate, quæ non est intrinseca, sed extrinseca opinioni, diciturque intrinseca, vel ad differentiam probabilitatis in autoritate fundatæ, quæ dici solet extrinseca, & authentica; vel quia gravis verosimilitudo, à quâ opinio denominatur intrinsecè probabilis, videtur esse intrinsecè unita tali opinioni; ut enim probabilitas intrinseca est prudens rei verosimilitudo, ita à verosimili intrinsecè connexion talis gravis rationis cum tali opinione, opinio dicitur intrinsecè probabilis.

N. 69. Confirmo: Ut enim motivum, seu medium, cui nititur conclusio, non debet esse adæquatè intrinsecum conclusioni; cum enim dico, Petrus est animal, quia omnis homo est animal, tō homo est medium, ex quo inferitur Petrum esse animal; quod licet sit intrinsecum Petro, non tamen adæquatè, sed inadæquatè; non enim omnis homo est Petro identificatus, intrinsecus, aut unitus, juxta diversitatem opinionum; nam aliqui putant satis esse ut medium sit unitū, alij debere esse identificatum extremis; ita probabilitas non debet esse intrinseca opinioni, satis ut sit verosimiliter intrinseca.

N. 70. Nota quartò, inter Caramuelis, & M. Mart. de Prado, Murcia, Lumbier, Torrec. Filgu. Thom. Hurtad. recilla, Filguer. & Thomæ Hurtado Mart. de sententias, hoc esse me iudice discrimen, quòd sententia Caram. videtur magis falsa, magis tamen dialectica; aliorum verò videtur minus falsa, minus tamen dialectica. Sententia Caram. est magis falsa, quia negat dari in mundo autoritatè improbabilizandi opiniones extrinsecè probabiles; est magis dialectica, quia servat maiorem consequentiam; si enim verum est, quòd opinio intrinsecè probabilis fieri non possit improbabilis, verum quoque est, quòd extrinsecè probabilis fieri non poterit improbabilis: nam non minus repugnat (si repugnat) ut decem graves Doctores stantes pro tali sententiâ non stent pro eâ, etiam postquam damnata est, quàm juxta sententiam M. de Prado, & aliorum repugnet, ut opinio gravem habens pro se rationem, eam non habeat post damnationem: ergo sententia Caram. est magis falsa, sed magis dialectica; aliorum verò est minus falsa, sed minus dialectica.

N. 71. Ex quo infero primò, vel sententiam Caram. esse veram, si vera est sententia aliorum; vel sententiam aliorum esse fallam, si falsa est sententia Caramuelis. Infero secundo, quòd sicut ratio Caramuelis negans autoritatè improbabilizandi opiniones extrinsecè probabiles peccat, quia confundit sententium compositum cum diviso, & econtrajita etiam eodem vitio peccat ratio negantium autoritatè improbabilizandi opiniones intrinsecè probabiles. Ratio est evidens: quia tam implicat, ut Papa faciat, ut decem graves Authores non sint decem graves Authores, quàm implicet, ut ratio gravis non sit ratio gravis; sicut autem Papa potest per damnationem tollere gravitatem talibus DD. ita etiam per damnationem tollere potest gravitatem tali rationi, ut mox dicam. Infero tertio, omnia argumenta sententiæ affirmantis dari autoritatè improbabilizandi opiniones extrinsecè probabiles, & negantis dari autoritatè improbabilizandi opiniones intrinsecè probabiles, retorqueri semper in Adversarios, nam vel nihil probant, vel nimis probant: nimis, quia probant etiam non dari autoritatè improbabilizandi opiniones extrinsecè probabiles; nihil, quia non probant, non dari autoritatè improbabilizandi opiniones intrinsecè probabiles.

Jam probatur conclusio: Deus debuit Ecclesie suæ providere talem Magistrum, qui non minus sententiâ suâ infallibili posset tollere omnem quæstionem spectantem ad materiam fidei, & posset sententiam antea prudenter veram, declarare hæreticam, aut fallam, quàm qui posset tollere omnem quæstionem spectantem ad materiam morum, & sententiam antea prudenter probabilem, si ve ob autoritatè, si ve ob rationem, declarare improbabilem: sed quæstio de probabilitate in materiâ morum est quæstio circa materiam morum, nempe circa honestatem, aut inhonestatem actionis: ergo sententia Pontificis docentis Ecclesiam circa opinionum improbabilitatem, debet esse omnino infallibilis: sed eo ipso, quòd est infallibilis, tollit ab opinione damnatâ, ut improbabili, omnem tūm extrinsecam, tūm intrinsecam probabilitatem: ergo datur in Papâ autoritas improbabilizandi opiniones, antea extrinsecè, aut intrinsecè probabiles. Maior est certa; minor est evidens; consequentia sana: quare subsumptum probatur quoad primam partem: Tunc tollitur, & cessat opinionis probabilitas extrinseca, quâdo tollitur à DD. qui eam docuerunt, omnis autoritas, & testimonium, ita ut quoad eam opinionem sit omnino inane, & nullum; etsi quoad alias non damnatas possit esse validum.

lidum: sed per damnationem Papæ declarantis talem opinionem improbabilem, tollitur omnis autoritas DD. qui pro eâ opinionione steterunt, nam iudicij Pontificij, declarantis, aut instruentis totam Ecclesiam tanta est supereminencia, ut vincat, & infirmet omne iudicium, & auctoritatem omnium DD. etfi collectivè sumptam, ut rectè ait C. Aguir. *tom. 1. in S. Anselm. disp. 2. n. 37.* ergo per sententiam Pontificis damnantis talem opinionem tollitur ab eâ omnis probabilitas extrinseca; immò fit extrinsecè improbabilis, quia habet contra se supremam auctoritatem Pontificis: & quidem *in perpetuum*, ut benè P. Ripal. *tom. 3. contra Baum disp. 1. n. 4. & 7.* quia Papa damnat doctrinam in perpetuum, etfi titulus Bullæ esset *ad futuram*, non *ad perpetuam* rei memoriam. Ut enim M. Bann. *1. p. quest. 1. pag. mihi 126.* ait posse aliquid esse commune omnibus T.T. quod deinde successu temporis ab alijs rejici potest, adeoque Juniorum semper sententia requirenda; Antiquis tamen proprius honor deferendus; quanto magis respectu Pontificum, qui sunt supremum infallibilis Theologiæ caput, hoc certum erit. Sanè M. Soto, ait P. Henao *disp. 28. de Sacr. Missæ n. 36.* primus fuit, qui negavit esse mortale, matutino non præmisso, abique ullâ causâ celebrare, quæ opinio hodie plebsque numerat: ergo opinio antè improbabilis, quia contra commune Theologorum Dogma, fieri potest probabilis. V.P. Henao, qui habet *l.c.* plura scitu digna.

Secunda pars subsumpti probatur: Tunc tollitur probabilitas intrinseca seu nixa gravi fundamento, quoties talis opinio habet contra se insolubile fundamentum; ut enim opinio sit intrinsecè probabilis, non est satis ut habeat pro se fundamentum absolute, sed etiam respectivè grave ad fundamenta partis oppositæ; si enim habeat contra se insolubile fundamentum, tantum abest, ut sit intrinsecè probabilis, quin est intrinsecè improbabilis: sed omnis opinio damnata à Pontifice ut improbabilis habet contra se infallibile iudicium Pontificis damnantis: ergo eò ipso nō est amplius intrinsecè probabilis, imò fit intrinsecè improbabilis, eo modo, quo hæreses sunt intrinsecè improbabiles per hoc, quod habeant contra se certam Dei revelationem.

Confirmo primò: Ut enim certa iudicij Pontificij damnatio enervat auctoritatem DD. faventium opinioni damnatæ, ita declaratio iudicij Pontificij, & veritas ab eo declarata ut certa, eliminat omnem veri apparentiam, & apparentem connexionem, quam præferunt rationes faventes tali opinioni:

rursus sicut definitio Papæ de falsitate alicujus opinionis dissipat ab eâ omnem veri apparentiam antiquam, ita declaratio Pontificis de improbabilitate omnem antiquâ prudentem verosimilitudinem à ratione vel auctoritate petitam, quâ gaudebat opinio.

Confirmo secundo: Licet tam Inquisitioni N. Generali, quàm Congregationi Cardinalium, aut Papæ insit auctoritas dammandi usum alicujus opinionis; & licet trium, ut ita dicam, horum iudicium visibilium auctoritas, ut legislativa, conveniat in hoc, quod quælibet potest præcipere, aut vetare sub gravi praxim ejus opinionis, attamen quatenus declarativa longissimè differt, nam iudicium Papæ declarantis improbabilem præctice aliquam opinionem est omnino infallibile, non ita iudicium Inquisitionis, aut Congregationis Cardinalium: si ergo Congregationi Inquisitionis, & Cardinalium, immò viris doctis conceditur, ut possint reddere improbables opiniones antea probabiles, quatenus invenire possunt argumenta certa tollentia omnem speculativam probabilitatem, multò magis concedendum Pontifici, cujus iudicium est infallibile, & à Spiritu S. regulatum.

Confirmo tertio hoc concludenti syllogismo. Opinio, quæ nunc certò constat nullam pro se habere gravem rationem, vel auctoritatem, nec intrinsecè, nec extrinsecè potest esse probabilis: sed opinio damnata à Papa ut improbabilis nullam nunc habet pro se rationem, aut auctoritatem, nam per iudicij Pontificij auctoritatem sublata est quoad hoc punctum à Doctoribus stantibus pro damnatâ omnis auctoritas; & per veritatem iudicij Pontificij omnino certam sublata est omnis apparsens rationum gravitas, stantium pro damnatâ: ergo opinio damnata à Papa ut improbabilis, non est amplius intrinsecè, aut extrinsecè probabilis; immò est improbabilis, tum extrinsecè, quia habet contra se auctoritatem, quâ nulla maior; tum intrinsecè, quia habet contra se iudicium, quo nullum verius.

Ex his infer, in opinionibus damnatis quia N. scandalosis, improbabilibus, falsis, temerarijs, &c. damnabilitas remota est ipsa falsitas, scandalum, aut improbabilitas objectiva opinionis; proxima est ipsa eadem objectiva falsitas, scandalum, aut improbabilitas, ut declarata per sententiam vel omnino certam, qualis est solius Papæ loquentis toti Ecclesiæ, vel moraliter certam, qualis est Tribunalium, quibus competit censura propositionum; ita tamen ut damnatio Papæ non faciat opinionem esse damnabilem, sed supponit

ponit damnabilitatem in eâ, & hæc supposita, Papa declarat eam damnatam, & damnabilem. Secundò: Licet autoritas prohibitiva alicujus opinionis pro foro externo competat Prælati sæcularibus, & Regularibus respectu suorum subditorum, respectu quorum habent jurisdictionem; & licet talis prohibitio obliget in conscientia, ne eam opinionem externè doceant, & prædicent, attamen hæc prohibitio, etsi sit Inquisitionis, nõ reddit opinionem à se damnatam, & censuratum, infallibiliter improbabilem; nam autoritas definitiva, & censurativa, sine periculo erroris, solus Pontifex, aut Concilij Generalis, privilegium est. Vide P. Arf. dekin *loc. c.*

§. III.

Respondetur Fundamentis.

SUMMARIUM.

Papa non facit, ne triginta DD. stent pro damnata, sed ne sint fide digni, n. 80.
Bonum physicum per nullius auctoritatem fieri potest malum; potest morale, n. 81.
Damnata a Papa ut improbabilis est talis pro foro interno, & externo, n. 82.
Certitudo falsitatis non stat cum probabilitate veritatis, n. 83.
Qualiter minus pia pro Conceptione vetetur? Ib. Papa tollit omnem speculativam, & practicam probabilitatem, n. 84.
Probabilitas qualiter sit intrinseca opinioni? Ib. Aliquid vetari potest pro foro externo, non pro interno, n. 86.
Eminentia judicij Pontificij, n. 87.
Opinio ante damnationem fuit ex errore regulæ morum, n. 88.
An de essentia probabilitatis sit, ut opinio re ipsa non sit contra Decreta Ecclesiæ, n. 89.

N. 80. **A**D fundamentum Caram. respondeo. Papam damnantem aliquam opinionem ut improbabilem non facere, ne triginta DD. steterint pro eâ, sed facere, ut iidem DD. non sint amplius fide digni quoad illâ: autoritas enim Papæ infirmat omnem eorum auctoritatem. Addo, ut dixi, ut opinio sit extrinsecè probabilis, non est satis, ut habeat pro se graves absolūtè DD. sed graves respectivè, seu ut non habeat ea gravitas contra se auctoritatem infirmantem eamdem gravitatem, sed eo ipso quòd Papa damnat talem opinionem fundatam Doctorum auctoritate, hæc autoritas habet contra se auctoritatem Papæ infirmantem eam auctoritatem: ergo non est amplius extrinsecè probabilis, immò est extrinsecè improbabilis,

quia habet contra se supereminentem Papæ auctoritatem.

Ad fundamentum aliorum adversariorum, N. 81. moneo primò, ne transeant à concreto ad abstractum; aliud enim est, quòd lux non possit esse tenebræ, aliud quòd lucidum non possit esse tenebrosum: primum implicat: secundum non implicat in sensu diviso. Moneo secundò argumentum probare, quòd neque detur autoritas potens reddere extrinsecè improbabilem opinionem extrinsecè probabilem; nam ex eadem arguendi forma, mutatis terminis, idem sequitur, quòd tamen Adversarij, contra quos nunc agimus, negant. Moneo tertio argumentum retorqueri: Ut enim bonum, innocens, lucidum, sanctum, potest fieri malum, nocens, tenebrosum, in sensu diviso ab innocentia, luce, sanctitate, ita intrinsecè probabile potest fieri intrinsecè improbabile in sensu diviso à probabilitate intrinsecâ, adveniente novâ ratione convincente oppositum. Moneo quarto argumentum non esse ad rem, nam ad hoc ut opinio sit intrinsecè probabilis, non est necesse, ut probabilitas sit per modum formæ physice intrinseca opinioni, quomodo albedo parieti albo, sed satis est, ut sit verosimiliter intrinseca, eo modo, quo ut opinio sit probabilis, non est necesse, ut sit vera, sed satis est, ut sit verosimilis. In formâ distinguo maiorem: nulla autoritas facere potest, ut reverà bonum sit reverà malum, concedo maiorem; ut apparenter bonum, & reverà malum, sit reverà malum, nego maiorem: & distinguo minorem: opinio intrinsecè probabilis danata à Papa est reverà bona, nego minorem; est verosimiliter bona, & reverà mala, concedo min. & nego consequentiam. Paritas innocentis adducta ab Adversarijs firmat nostram doctrinâ; vel enim innocens injustè damnatur, quatenus iudex nititur probationibus falsis, vel iustè? Si primum, tunc est N. 82. pro foro interno innocens, pro externo reus; si secundum, tunc erat apparenter tantum innocens, & est pro foro interno reus, immò per veras probationes fit etiam pro foro externo reus. Ita accidit in casu nostro. Si opinio intrinsecè probabilis damnatur per iudicium falsum, tunc manet in se, ut antea; si per infallibile, tunc manet pro foro tum externo, tum interno improbabilis: pro externo, quatenus prohibita doceri, practitari, &c. pro interno, quatenus damnata per iudicium certum de ejus improbabilitate, & consequenter ea opinio per tale iudicium certum Papæ damnata, erat tantum apparenter probabilis intrinsecè, nunc autem post Papæ iudicium est, tum extrinsecè, quatenus habet